



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 46. S. Anscharii Prædicatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX.
A. C. 834.

§. XLVI.

S. Anscharii Prædicatio.

Sup. n. 30. **I**n Occidente cum S. Anscharius Archie-
vit. S. Ansch. episcopus Hamburgensis secundum
n. 20. Coint. mandatum Ludovici Imperatoris iter Ro-
an. 830. n. 5. mam suscepisset, Episcopis Rotado Sues-
sionensi, Bernoldo seu Bernalto Argen-
toratensi, & quodam Comite, cui no-
men Geroldus, comitantibus, obtinuit
a Gregorio IV. quod petebat, scilicet
novi Archiepiscopatus Hamburgensis
confirmationem. Præterea Papa An-
scharium pronunciavit Legatum suum
ad omnes nationes vicinas, Suecos, Da-
nos, Sclavos, aliosque, ubicunque omni-
potens Deus viam ad prædicandum Ev-
angelium aperiret, cujus sacri laboris
partem etiam injunxit Ebboni Archie-
Sup. Lib. piscopo Remensi, cui hanc Missionem
XLVI. §. 50 Paschalis Papa ante annos circiter decem
commiserat. Illud quoque præcepit
Papa, ut Anscharii Successores in Pala-
tio Imperatoris consecrarentur, usque
dum Episcopus Hamburgensis Suffraga-
neos haberet. Pallium vero Anschario
& Ecclesiæ ejus in perpetuum concessit.
Hæc omnia ex Decreto Gregorii IV. Pa-
pæ discimus. S. Anscharius in Franciam
reversus Sedis suæ Institutionem Ludo-
post. vit. vici Imperatoris Literis, Aquisgrani de-
S. Ansch. p. cima quinta Maji anno Regni sui vigesi-
122. ibid. & mo
to. I. Cap.
p. 681.

mo primo, Indictione duodecima scilicet anno salutis humanæ octingentesimo trigesimo quarto datis confirmari curavit. Tum munus Episcopale in nova sua Diœcesi pro virili implere cœpit, multosque paganos eximia virtutis exemplo ad veram Fidem pertraxit. Danorum aut Sclavorum liberos coemebat, captivosque redimebat, qui deinde in agnitione veri Dei educabantur. Horum aliquos in Monasterium suum Turholten- se in Flandria mittebat. Porro quidam veteris Corbejæ Monachi itinerum suorum comites egregiam operam ad propagandam fidem contulerunt. Cum etiam S. Ansharius complures Reliquias quatuor Sanctorum, Episcoporum Remensium, videlicet, S. Sixti, S. Sinnicii, S. Materniani, & S. Remigii, ab Ebbone sibi datas attulisset, illas quæ S. Sixti & S. Sinnicii erant, Hamburgi, ceteras in aliis suæ Diœcesis locis deposuit.

§. XLVII.

Ludovicus Imperator restituitur.

Ebbo eodem año octingentesimo trigesimo quarto comprehenditur, & in Abbatia Fuldensi includitur jubente Ludovico Imperatore, qui a Lothario filio pressus post breve temporis spatium pristinam potestatem recuperavit; quippe Ludovicus & Pipinus alii duo filii Impera-

Sæculum IX.
A. C. 834.

vit. 21.

Adam. lib. I.
c. 19.